Perlecki Consorti Reformat

Comparens personaliter coram Officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Nobilis Iwan Perlecki Nanirutko solidanus mente et corpore existens, a Terris, Districtibus, Iuribus, Iurisdictionibusq[ue] suis quibusuis propriis et competentibus recedendo Iuridico huic Castrensi Capitaneali Premisliensi Iurisdictioniq[ue] quo ad actum hunc attinet seuras successoribus ac bonis suis generaliter omnibus totaliter et plenarie incorporando atq[ue] subijciendo palam, libere publice, ac per expressum recognouit. Quia ipse Nobilis Helena Tunanska Nobilis Basilio Tunarski cum olim Nobili Helena Perlecka Consorte eius legitima procreatae filiae suae eodem Recognoscentis consorti legitimae eiusq[ue] posteris summam Quinquaginta florenorum polonicalium ratione verae dotis et expeditionis per eum acceptae, et in domum suam importatae, necnon aliam similem summam Quinquaginta florenorum polonicalium ratione certi, veri, iusti, et liquidi dotalitij in et super tota et integra medietate bonorum generaliter omnium, puta auri, argenti, clenodiorum, vnionum, margaretarum, vestium, vestimentorum, stanni, aeris, cupri, orichalci, pecorum pecudum, equorum equitiorum, ac totius supellectilis domesticae nunc habitae et in post habendae, dedit, dotauit, dotalitauit, inscripsit, et reformauit, prout dat, dotat, dotalitat, inscribit, et reformat praesentibus. Per ipsam Nobilem Helenam sui Recognoscentis Consortem legitimam et ipsius Posteros eandem medietatem bonorum suorum generaliter omnium, cum vniuersis ipsorum Vtilitatibus, et vsufructibus, Competentiaq[ue] et praerogatiua quauis tenendi, habendi, et possidendi, illisq[ue] quiete et pacifice vtifruendi, ac ad vsus suos et suorum successorum quosuis beneplacitos libere et effectualiter conuertendi, vigore ac more aliarum Reformationum hactenus et ordinarie in Regno Poloniae obseruari solitarum.